

Ordinis medici lenensis decanus lustus Christianus Loder, D. solemnna inauguralia clarissimi medicinae candidati Immanuelis Henrici Geller ... indicit : praemittitur commentationis de Alansonii nova amputationis methodo part. I.

Contributors

Loder, Just Christian von, 1753-1832.
Geller, Emanuel Heinrich, 1759-
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

lenae : Litteris Strankmannianis, [1784]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/r7zffqyh>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

16
ORDINIS MEDICI IENENSIS DECANVS

IYSTVS CHRISTIANVS LODER, D.

SOLEMNIA INAUGVRALIA

CLARISSIMI MEDICINAE CANDIDATI

IMMANVELIS HENRICI
GELLER

NIESKIA - LVSATI

INDICIT.

Praemittitur commentationis de ALANSONII *noua am-
putationis methodo*

Part. I.

I E N A E

LITTERIS STRANKMANNIANIS.

ORDINE MEDICAMENTIS DECANTIS

TESTES CHRISTIANI ET ORDINIS

COLLEGIUM MATHETALIA

CLAUSTRUM MATHETALIAE CAROLINAE

IMMANUELIS HENRICI

GILLEN

PHYSICUS MATHETALIAE

INSCRIPT


INSTITUTUM COLLEGIUM MATHETALIAE

PHYSICUS MATHETALIAE

PHYSICUS

PHYSICUS

PHYSICUS MATHETALIAE



Varia sunt, quae tum in dignoscendis tum in curandis morbis hodiernam Chirurgiam prae vetustiori commendant. Ex quo enim sedulis et accuratis partium humani corporis sanarum et morbosarum disquisitionibus Anatomiae inprimis studium increvit, plurimum morborum naturam, quae antea latuerat, noscimus eisque facile medemur.

Vt autem omnibus in rebus, sic et in Chirurgia, dolenda est humanae conditionis imbecillitas, quae impedit, quo minus ad summum, quem petimus, perfectionis gradum accedamus, quaeque nos, inuitos quasi, ad modestiam reuocat, vbi nimia fortasse profectuum nostrorum persuasione triumphamus.

Nusquam enim artis nostrae imperfectio magis apparere videtur, quam iis in casibus, vbi, vel ob membri cuiusdam plenariam destructionem, vel ob fracturam ossis maxime compositam et complicatam, vel ob sphaceli aut ossium cariei summum et insuperabilem gradum, vel ob trunci arteriosi, qui membrum aliquod sanguine suo vnice prospicit, laesionem, totam partem abscindere dira necessitas iubet. Hisce enim in casibus, etiamsi membri illius amputatio efficacissimum remedium sit, quo vitam aegroti seruare possimus, hac ipsa tamen curatione fateri cogimur, omnia artis nostrae adnucula non sufficere, vt parti istae pristinam et amissam sanitatem restituamus.

Quae vero cum ita sint, nostri est, omnem diligentiam adhibere, vt dirae illae, at necessariae curationes, ita instituantur,

vt

vt miserrimorum aegrotorum dolores, quantum in nobis est, minuamus, et ipsius curationis ineuitabilem crudelitatem nostra humanitate leniamus. Et hoc quidem est, in quo etiam vetustiori Chirurgiae palmam praeripit hodierna, quod ipsam quoque membrorum amputationem mitiori modo et minori, vt ita dicam, apparatu perficiat, totamque curationem multo breuiori tempore absoluat.

Quis enim est, qui veterum methodos, quibus in membrorum abscissione vtebantur placido et tranquillo animo intueatur? Quis, qui terrore non pallescat, cum ea legat, quae veteres de cultri candentis vsu, et de olei feruidi, aut aquae ebullientis, aut sulphuris et plumbi fusi, aut medicamentorum corrodentium, aut candentis ferri ad membrum ipsa abscissione iamiam mutilatum applicatione eum in finem praeceperint, vt sanguinis erumpentis vim coërcerent? Quis, qui immane BOTALLI consilium, quo in machina peculiari modo fabrefacta, per illapsum ab alto ferramentum praeacutum et graue in locum ressecandum, magna vi et vno quasi ictu membra praescindere suadebat, quod et HILDANVS imitatus est *), absque horrore contempletur? Mirum fane non est quod certam mortem di-

A 3

ris

*) HEISTERI *Institut. chirurg.* part. II. sect. I. cap. XXXVI. §. V.



ris hisce curationibus praeferrent aegroti, et quod ipsi eius temporis Chirurghi non, nisi inuiti et rarissime, ad horrendam hanc sic dictam operationem confugerent *).

Euanuerunt autem dira illa et ipsis morbis acerbiora curationum genera, ita, vt ne vestigium quidem eorum apud nos superfit; sanguinis enim profluuium neque vstione neque corrodentium applicatione, sed sub amputatione per torcular, et post illam per arteriarum ligaturam compescimus, hisque egregiis inuentis **) istam curationem pristina crudelitate immunem reddimus.

Non vero mitior et tutior compescendae haemorrhagiae methodus vnicum est, in quo nostra haec Chirurgia pristinam antecellat, sed et inprimis id laudem meretur, quod per duplicem siue iteratam illam sectionem, quam Galli PETITO, Angli vero CHESELDENIO suo tribuunt, nostris temporibus membrorum abscissio vbiuis fere perficiatur. Hoc enim modo molestissima illa ossis denudatio aut
emi-

*) SHARPE'S *critical inquiry*, cap. VII.

**) Historiam horum inuentorum legas apud HEISTERVM l. c. vel apud Cel. SCHMYCKER, in *Vermischt. chir. Schrift.* Vol. I. pag. I. sqq.


~~—————~~

7

eminentia, quae olim vulneris sanationi vehementer plerumque obstabat, facile euitari potest.

Quamquam autem variis hisce, iisque praeclaris inuentis, membrorum amputatio maximis illis difficultatibus, quibus olim premebatur, liberata est, habebant tamen Chirurghi, cur illam iis inprimis in casibus metuerent, vbi vel propter aetatem et virium defectum, vel ob victus idonei penuriam, vel ob aëris in Nosocomiis aut in alio quocumque loco corruptionem, vires aegroti ad longam illam suppurationem, qua sola vulneris demum sanatio absoluebatur, omnino non sufficere visae sunt. Sed haec quoque, maxima sane, difficultas nostris temporibus plane remota est per egregiam illam et nunquam satis celebrandam methodum ALANSONII *), celeberrimi apud Anglos Chirurghi, qua ipsa femoris amputatio, cuius sanatio optimis iisque peritissimi-

*) Descripsit Cel. vir methodum suam primum in libro, cui titulus est: *Practical observations on amputation and, the after-treatment, by Edw. ALANSON. Lond. 1779.* Emendatam autem methodum suam candide explicauit in altera huius libri editione, quae sub eodem titulo prodiit Londini 1782, cui varias obseruationes nouamque adiecit commentationem, sub titulo: *an account of the amputation above the ankle with a flap.* Vtilissimi huius libri versionem germanicam subprelo esse ex ephemeridibus litterariis Gothanis maximo cum gaudio percepi.



tissimis viris non, nisi quinque vel sex mensium spatio, succedebat, tribus plerumque aut quatuor hebdomadibus et facillimo, vt ita dicam, negotio absoluitur. Nescio fane, quantis laudibus extollam maximum, quod sibi parauit ALANSONIVS meritum de vniuerso humano genere et praecipue de patria sua, in qua inprimis dirus iste morbus scrophulosus, ab Anglis *tumor albus* (white swelling) nominatus, qui articulationem genu et cubiti immedicabili carie plerumque destruit, adeo frequens est, vt membrorum abscissionem in nosocomiis Londinensibus quauis fere hebdomade videre possis.

Quae autem praeclara methodus, cum apud nostrates nondum in vsu esse videatur*), non inutilem laborem me suscepturum arbitrabar, si emendatam hanc membra praescindendi rationem, non e libro ALANSONII, sed potius secundum eas observationes exponerem, quas, cum Londini degerem, feci in Nosocomiis St. Bartholomaei et Georgii, in quibus inprimis POTTIVS et IOH. HUNTERVS, praeclara illa inter Londinenses Chirurgos lumina, artem suam maxima cum laude exercent. Tanta au-

tem

*) ALANSONII methodum in Gallia quoque plane incognitam esse, anno praeterito, cum Parisiis et Rothomagi degerem, obseruaui.

tem est methodi huius praestantia, vt sedecim in casibus, quos apud Londinenses vidi, etsi nonnulli aegrotorum aetate iam prouecti essent nec optima ceterum valedudine frui viderentur, ne vnicum quidem inuenerim, vbi graue aliquod symptoma infecutum fuisset, quod vulneris sanationem diutius protraxisset, excepto illo casu, quem in Sti. Bartholomaei Nosocomio videre memini, vbi per incautam et subitanam filii, quo arteriola deligata erat, euulsionem, noua aliquot dies post operationem insequabatur haemorrhagia, quae iteratam vasculi ligaturam requirens, vulnere iam fere clauso et denuo distracto tantam inferebat irritationem, vt eius sanatio per tres pene hebdomades ultra consuetum tempus retardaretur.

Sed haec haecenus. Commendandus enim est praenobilissimus atque doctissimus Medicinae Candidatus, qui per omne tempus, quo hac in Academia degit, non solum egregiam diligentiae sed et morum probitatis laudem sibi comparauit. En vitae curriculum ab ipso Candidato nostro descriptum!

Ego, inquit, **IMMANVEL HENRICVS GELLER**, *Niskiae, Lusatiae superioris quodam oppidulo, mense Martio anni huius saeculi quinquagesimi noni natus sum. Patrem habui FRIDERICVM OSWALDVM GELLER, Procurato-*



*ratores reddituum ex vectigalibus, ac matrem AN-
 NAM MARIAM e gente HAVPTFLEISCHIANA. Prima
 eruditionis initia, ab ineunte aetate, primum ex scho-
 la publica deinde ex priuatissima hausit, ita ut ab an-
 no quinto usque ad duodecimum institutione plurimum
 praeceptorum usus sit. Parentes optimi, me non
 impedierunt quo minus ad Pharmacopolae disciplinam
 me conferrem. Amor huius artis me incitavit, ut
 per annos duos, quanta potui assiduitate, operam da-
 rem omnibus iis, quae iuuenem in ea re ornare possent.
 Sed corporis infirmitas plus temporis huic studio im-
 pendere haud concessit, quia haemoptysi, et pectoris
 affectibus vexabar. Quo facto Paedagogium ipsius
 loci ingressus, per duos annos omnem in eo nauavi
 operam, ut reliquis in humanioribus scientiis ac di-
 sciplinis, quae necessariae sunt Theologiae cultori,
 rite imbuerer. BARBYAM demum aliis cum commi-
 litionibus profectus sum, et per tres annos in Semi-
 nario quod ibi floret commoratus sum. Multa viris
 bonis, qui ibi degent, me debere libere profiteor, pro
 quibus eis et nunc gratias quas possum maximas ago.
 Nulla sane ratione remunerari valeo sollicitam curam
 ac benevolentiam SHOLLERI meritissimi istius Semi-
 narii Inspectoris, qui mihi primo tradidit Encyclo-
 paediam duce SVLZERO, Mathesin puram ac appli-
 catam secundum KAESTNERI compendium, et Botani-
 ces,*

ces, Physices, aequae ac Historiae naturalis doctrinas. Toto e pectore veneror Clar. BOSSARTVM Philosophiae Historiarumque Professore, qui his in scientiis etiam mihi Praeceptor existit. Venerabilis BAVMEISTERVS, Philologicis, Graecis, Hebraicisque litteris assidue me instituit. Silentio quoque praeterire nequeo, Experimentiss. doctissimumque SWERDTNERVM, Medicinae Doctorem, Ciuitatis atque Comitatus eius Physicum, optime de me meritum. Illum enim audiui maximo cum fructu in Physiologia, Pathologia ac Therapia generali.

Amore apollineae artis autem ductus, IENAM me contuli, anno MCCLXXXIII, et ab illustri atque excellentissimo WIDEBVRGIO, fasces Academiae tunc tenente, ciuibus academicis adscriptus sum. Scholas medicas statim frequentare coepi. Ill. NICOLAI, gratiosi Medicorum Ordinis Senioris, interesse praelectionibus semiologicis, feliciter mihi contigit. Celeb. ac Ill. GRVNERVM, Praeceptorem habui dexterrimum in Therapia tam generali quam speciali, Medicina forensi, in Explicatione iuramenti Hippocratis et libri eius de Medico, et Celsianorum locorum quorundam. Maximo quoque cum fructu interfui praelectionibus e Physiologia, Materia medica atque arte obstetricia Excell. STARKII, Patroni et Fautoris mei optimi. Is etiam Pathologiam, Therapiam generalem, Doctrinam de morbis infantum ac mulierum mihi explicauit, eoque
duce

duce adire licuit aegrotorum lectos. Denique vero Cl. SCHENKIVS in Osteologia optime me erudiuit mibique in dissectionibus anatomicis adstitit.

Omnibus hisce Fautoribus ac Praeceptoribus meis toto animo obstrictum me esse lubens fateor; eorum in me merita ad sempiternum usque gratissima mente venerabor.

Meis quoque sedulus interfuit lectionibus chirurgicis et anatomicis, meque duce praxin obstetriciam in Nosocomio nostro exercuit.

Admissus ad examen consuetum BENE respondit, ita, ut vnanimi Facultatis consensu via ad consequendum Doctoris Medicinae gradum ipsi aperiretur. Consendet itaque cathedram die xxv Augusti, ex eaque sine Praefide Dissertationem suam *de Zinco* publice defendet, quo facto summis, quos Medicina habet, honoribus eum ornabo.

Cui solemnitati ut MAGNIFICVS ACADEMIAE PRO-
RECTOR, S. R. I. COMITES ILLVSTRISSIMI, PATRES
ACADEMIAE CONSCRIPTI, PROFESSORES AC DOCTORES
CELEBERRIMI ET SI QVI SVBERSINT LITTERARVM
FAVTORES beneuole adesse velint, Ordinis mei ver-
bis ea, qua decet, obseruantia rogo. P. P. sub sigil-
lo Ordinis medici. Ienae D, xxiii Aug. MDCCLXXXIV.

(L. S.)